

Innocentius IV. papa, charissimo in Christo filio illustri regi Luthawia. — Dicitur: nem in clientelam Apostolicam accepit, et ad ornandam eius pietatem, regia dignitate insignivit.

Mendog.

200

Multa cor nostrum est super eo jucunditate perfusum, quod Dei et redemptoris nostri Jesu Christi benignitas, super te faciem tuam illustrando, tibi misericorditer inspiravit, quod te olim in tenebris positum cum numerosa multitudine paganorum, ad gloriam divini nominis regenerari fecit per unda gratiam baptismalis; personam, regnum et omnia bona, iurisdictioni ac protectioni sedis Apostolicae totaliter submitte. Quia vero per solemnes ac speciales nuntios nobis humiliter supplicasti, ut te admittere in specialem filium sanctae Romanae ecclesiae, ac paterna benevolentia prosequi deberemus; nos tuis iustis desideriis, quae digna favore plenissimo reputamus, affectu benevolo annuentes, regnum Luthawiae, ac terras omnes, quas per divinae virtutis auxilium iam eripuisti de infidelium manibus, vel eripere potens in futurum, in ius et beati Petri proprietatem suscepimus, et ea cum uxore, filiis, et familia tuis, sub protectione ac devotione sedis Apostolicae permanere facimus, districtius inhibentes, ne quis te in fide ac devotione sedis Apostolicae persistente, super praefatis regno et terris, temere impedire seu molestare presumat. Nulli ergo etc. Datum Mediolani 17. Kal. Augusti, anno 1X.

